



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Cæciæ vento similies esse peccatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

CAPVT XLIV.

Cæcia, nubes in se trahenti, similes esse, qui malum, quod alijs parant, patiuntur, idq; Poetarum & fabularum exemplis declaratur.

Ventus, cui Cæcias nomen, qui media inter Aquilonem & exortum regione flat, à Plinio scribitur, vnus contra aliorum Septentrionalium ventorum naturam, non pellere, sed in se trahere nubes, in Ponto. Aristoteles putat, eum circa ortus æstiuos spirare; quòd autem nubes, non more reliquorum ventorum, à se abigat, sed ad se vocet, causam existimat esse, vel quia alius ventus resiat aduersus, eodem tempore; vel quia hic è sublimi cæli parte spirans, puta orientali, non transuersus per terram fertur, sed recuruata linea, propter reflexum, vnde exortus est, eò recurrit. Animaduersa hac Cæciæ natura, Sertorius Cæcitanos, vel Characitanos hostes ad deditiorem coegit in hunc modum. E regione speluncarum, in quibus illi se continebant, obiecit aggeres cinericios. Quibus incurstatione equitum concitatis, Cæcias tantum pulueris in fauces speluncarum deuexit, vt, cum ferre non possent, se se Sertorio in manus darent. Natum est ex hac venti indole prouerbium, *Mala attrahens ad sese, vt Cæcias nubes.* Cæciæ similes sunt peccatores; & maximè illi, quorum malitia alios violat. Nam, vt etiam est in adagio, *sibi parat malum, qui alteri parat,* teste Democrito Chio. Et, si aliud malum non rediret ad authorem, certè quisquis alium fraudat pecunia, seipsum spoliat bona mente. Itaque grauius seipsum lædit, quàm alterum.

Quamquam interim etiam plerumque eodem plectitur malo, quicumque alteri intulit malum, diuina quadam lege talionis; vt in quo quis peccat, in eo & puniatur, similis circino, cuius pes alter, in circulo describendo, ad idem punctum recurrit, vnde coepit; aut circumforaneo, qui ridiculi causa hominibus os sublinjrit. Is enim postquàm pyxidem, cuius operculum vndiq; est circumforatum, contritis in farina modum carbonibus impleuit, iubet obuios quosque fistulam operculo insertam ori admouere, & canere. Quod qui conantur, tota facie maculantur. Dum enim inspirant, fuliginem vultu excipiunt è pyxide ad se reuolantem, Idem con-

I.

Plin. lib. 2.
nat. hist. 46.
Arist. lib. de
Mundo &
Meteor. &
sect. 26. Pro-
blem.
A Gellius
lib. 2. c. 22.

Plutarch in
vita Sertorii.

Apud Arist.
lib. 3. Rhet.

II.

tingit